

cap. 13. ignem vi maxima reducere materiam in vitrum, igitur manifestum est vitrum partem esse humidi radicalis ferri cum grossis terrestritatibus, quæ fusionem impediabant in ferro combustis in favillam, vitrum sit fusibile quia redijt jam in naturam suam liquabilem, & quia pori sunt occlusi, ignis penetrare non potest & ipsum exterminare. Vincentius Monachus scribit lib 7. de naturalibus. Lapidem dici & non lapidem. Lapis enim dicitur quod possit conteri, & non lapis quia fundatur & fluat in igne absq; evaporatione, ut aurum neque aliæ rei convenire proprietatem hanc.

DEMO: Philosophi dicentes, non consumi lapidem ipsorum in igne, haud dubie dictum volunt de medicina finita.

GEBER. Pessima glossa est quæ textum corrumpit & pervertit, nam tibi dico ipsos intellexisse ijs verbis principium & fundamentum hujus operæ, quod etiam confirmat nobiscum Georgius Baco Anglicus his verbis. Dico de qualitate omni quod supra ignem figi debeant, scilicet ne aufugiant ab ipso, neq; consumantur aut corrumpantur ab igne, & postremo ne colorem mutant in igne, nam hæ sunt res quæ principium dant hujus operæ. Dicit præterea Alphidius, ignem subire & intrare omnia corpora, spiritus, substantias, & lapides, sed lapidem hunc non intrare neq; ipsi dominari posse, nec sulphures in ipso corrumpere. Arnoldus ad Regem Neapolis  
Dicit,